

Jam illud dicet ipse prosector, quod sua sponte fecit, Publique Cludio tribuendum putet, an tempori.

VII. Domi suae nobilissimus vir, senatus propugnator, atque, illis quidem temporibus, paene patronus, avunculus hujus nostri judicis, fortissimi viri, M. Catonis, tribunus pl. M. Drusus occisus est. Nihil de ejus morte populus consultus, nulla quaestio decreta a senatu est. Quaestum luctum in hac urbe fuisse a nostris patribus accepimus, cum P. Africano, domi suae quiescenti, illa nocturna vis esset illata? quis tum non gemuit? quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent, ejusne necessariam quidem expectatam esse mortem? Num igitur ulla quaestio de Africani morte lata est? Certe nulla. Quid ita? Quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur: Intersit inter vitae dignitatem summorum atque insimorum. Mors quidem illata per scelus iisdem et poenis teneatur, et legibus. Nisi forte magis erit parricida, si qui consularem patrem, quam si quis humilem necaverit: aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis majorum suorum sit interfactus. Hoc enim saepe ab istis dicitur; perinde quasi Appius ille Caecus viam munierit, non quia populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur. Itaque in eadem ista Appia via, cum ornatissimum equitem Romanum P. Clodius M. Papirium occidisset, non fuit illud facinus puniendum. Homo enim nobilis in suis monumentis equitem Romanum occiderat. Nunc ejusdem Appiae nomen quantas tragoeidas excitat? quae cruentata antea caede honesti atque innocentis viri silebatur, eadem nunc crebro usurpatur, posteaquam latronis et parricidae sanguine imbuta est. Sed quid ego illa commemoro? Comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompejum interficiendum collocarat. Extorta est consitenti sica de manibus. Caruit foro postea Pompejus: caruit senatu; caruit publico; janua se ac parietibus, non jure legum judiciorum-